



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 151. Expeditio in Turcas ex Anglorum ac Gallorum bellis impedita

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV.

A.C. 1454.

§. CLI.

Expeditio in Turcas ex Anglorum ac Gallorum bellis impedita.

Regi Franciæ, etsi toto regno propulsasset Anglos, militem extra Regnum suum educere, haud consultum videbatur, eoquod maritimas oras adhuc inquietas haberet, & repentinas ex Anglia classes timeret; Angli enim ad omnes concordiæ leges surdas præbebant aures, quamvis & ipsi in patria sua bellis intestinis divisi, ob incuriam Regis rebus exteris vacare haud valerent. Præterea Regni gubernacula usurpabat Richardus Dux Eboracensis, totisque votis, atque nisibus regnum affectabat, hinc Sommersetum, & Glocestrensem Duces, Regis propinquos in vincula conjecerat. Henricus temeritate facti commotus, excusso tandem sopore auctoritatis suæ nimium violatæ jura vindicatum ibat, quocirca utrumque Ducem carcere liberat, & Sommerseto administrationem Regni committit, quo munere non sine laude functus est. Hoc Regis imperio perculsus Eboracensis Dux ad sua abire decernit, salutis suæ prospecturus, paulo post tamem armata manu rediens, regno positus est. Tantus turbarum concursus, addit Æneas, quid aliud ominatur, quam
nec

nec ab Anglis, nec a Gallis auxilia ad-
versus Turcas speranda esse.

Sæcul. XV.

A.C. 1454.

§. CLII.

*Aliud obstaculum ob diffidia Regum
Septentrionalium.*

Nihil erat, quod Scotos, Suecos, & Norvegios, qui omnes in ultimis quasi orbis finibus sedes suas habebant, & aliunde intestinis diffidiis detinebantur, ad bella externa in tam remotis regionibus gerenda movere posset. Scotorum enim Rex subditis suis rebellibus domandis occupatus erat, quorum caput Comes Duglassius tandem captus, debitas seditionis pœnas luit. Sueciæ ac Daniæ Reges occasione unionis horum regnorum bellis impliciti erant. Exstat præterea Christierni, seu Christiani Daniæ Regis epistola ad Fridericum Imperatorem, in qua literis, quibus ab eo ad conventum Francofordiensem vocatus erat, respondens testatur, nihil sibi gratius accidere, præter oblatam pro Ecclesiæ bono zelum suum probandi occasionem, quam prompte arripere vellet, si modo regnorum suorum res compositæ forent: interea tamen nihil polliceri se posse absque prævia Senatus sui consultatione, quem tamen sine longiori temporis intervallo congregare haud valeret. Se jam

D d 5

in